ORATIO DE REGE CATHOLICO. FRANCISCO PACIECCO CARD. AMPLISS...

Francesco Scanzi



FRANCISCO PACIECCO

CARD. AMPLISS.

FRANCISCVS SCANTIVS

I. C. MEDIOL. S. D. P.





ON solent prudentes viri in aliquo inuidere Regi, tanquàm Regi: quia istud in multis dietim cadere potest; cum in manu consilii cuiuscunq; positum sit in potentissimum Regem euadere, hancq; maximam assequi dignitatem. Nam quilibet est Rex in domo sua; in anima sua existit dignitas talis: Regnum Dei intra nos positum, & situm est. Verum (vt ingenuè fatear) inuident prudentes, qui sapientia duce, præuiaq; reguntur, sapienti, potissimo, bono, & optimo Regi. Sed hoc paucis conceditur: hoc opus, hic labor est, non datur omnibus adire Corinthum: pauci sunt quos æquus, aut ardens euexit ad æthera virtus: hic apparent rari nantes in gurgite vasto. Idcirco Catholicum Regem, sapientissimum Principem, clementissimum, prudentissimum, iustitiæq; cultorem semper & veritus, & veneratus fui. In hoc te vnum (Pater amplissime) in celebratissimum, ac locupletissimum testem assiscam, cuius opera, & gratioso fauore superioribus diebus fueram vsus in porrigenda oratione PHILIPPO AVSTRIACO, Regi optimo: illius supremos honores in virtute, ac sapientia prudentissime positos, longo præconio laudare recensendo; recensereq; laudando non destiti longo, debitoq; verborum apparatu. Tunc temporis quæsiuit a me familiarissime A. T. vt quod nam hactenus fuerit vitæ meæ institutum, vna studiorum ratio, peractæ ætatis cursus, breui significarem: & qua humanitate quæsitum istud fuit, eadem hac mea epistola, quam probabilem duxi, inuitor ad respondendum: hanc sic breuibus accipito. Istud fuit præcipuum consilium, atq; institutum meum, ut ab omni ambitionis vanæ, falsæq; gloriolæ leuis nedum nomine, sed & suspitione

pro viribus meis, ſemper abeſſem : velis, & remis enſe, & clypeo, equis, & armis, terra, mariq; ſic contenderem; Vt nec honores aucuparer; nec magiſtratus ambirem; nec populares fauorum auras, in leuibus gratiis conſiſtentes, verſanteſq; nuſquam venando aſſequerer: a quibus ſemper abfui; quia ſemper volui. Omnis honor & gloria ſit Deo Viuenti; qui non permiſit me hoc luto inuolui hac fæce fædari; hac fera deuorari. Quo tempore Romam applicui, ſtatim ad varia ſtudiorum genera ante illam diem incognita, omisſis antiquioribus mihi familiaribus, animum tunc totum applicui: hoc ſupra ſeptennium connumeratur. Et quamuis multa, varia propemodumq; infinita, dictu admiranda, viſu obſtupeſcēda, auditu in incredibili, poſita in hac alma Ciuitate, olim regina, & domina fuerim admiratus, & miratus in amplisſimo Romæ theatro ſic conſtitutus totius mundi interno, oculo, & corde indieſq; ſingulos noua magis recentia, iocundisſime detecta cernebantur: non tango hic, quā antea dixeram, vanitatem, aucupia, aulicas largitates, Curiales pollicitationes, vana promiſſa, & alia huiuſmodi; ſtatim ad remanentes antiquitates, ſtanteſq; atritas ſtatuas, iacentea fragmenta maxima curioſitate animum ſtudioſus appli cui, nulli, &ſi immodico pro viribus meis expenſarum generi, in illa cognitione peperci: ad nullum pecuniarum incommodum reſpiciens: ibiq; diu delectatus, & oblectatus, me totum hominem immerſum ſtatis horis, poſt grauiora peracta negotia obrutum dedi: ſicq; antiquisſima Imperatorum numiſmata, modo aurea, modo argentea, ferrea, quandoq; ænea, pro rei qualitate promptisſimus inuicem comparabā: mutua relatione conferebam: eaq; ſtudioſe factitabam: quo marmoreis figuris mutuo collatis, ſic in quo conuenirent, & in quo diſcreparent, facili iudicio deinde cognoſcebam: in ancipiti conſilio inperplexis, atq; dubiis, quæ peritisſimos, cōſumatisſimoſq; viros, necnon & excellentes artifices offendunt, decipiuntq; valde, pro reſolutione ſtatim ad antiquisſima, & varia tum numiſmatum, tum inciſorum lapillorum ſecreta confugiebam; quæ diuerſi generis exiſtunt: ſicq; variata, & interlineata anxium delectant intellectum; vt Achates Cornelium, Iaſpis, Smirillis, Berillus, Calcedonius, Ametiſtus, Topatium, Granati Euchillus, lapis. Quid dicam de Pirite, Emathite, Hyacintho, Turcſia,

ſia, Parangone, Pirite magno,& huiuſmodi quamplurimi generis? quæ recipiunt varias ſignificationes, atq; nituntur diuerſis rationibus,& anctoritatibus ex inciſa in ipſis ſculptura, ſiue materia; qua alligata formoſa inueniuntur. Voluit fatui antiqui, ꝙ miles ſuper e quo currens cum cornu ad collum, antequem pendeat arbor, ſi in aliqua pretioſa petra inueniatur ſculptum, iſtud valeat plurimum ad omnes venationes; in piſcationibus ſomniant plurimum conferre, ſiquis habeat inciſam fœminam tenentem in vna manu auem, in altera piſcem, & hoc in cryſtallo dicunt ſi argento alligetur, arietis figuram in capiendas aues valde prodeſſe iactant, ſi ſit cum medietate inſculpti bouis ſicq; gemia vtrumq; inſculpatur, incitat ex ipſo tactu homines diſcordes ad concordiam redigi volunt, ſi quis habeat Báſiliſcum,& Draconem inter ſe mutuo luctantes, & hoc ſi in Cornelio ſculptum inueniatur, quod promittit omnem victoriam illis, qui pugnant cum ſilueſtribus animalibus: Turturis figuram ſi in paragone inueniatur,& annulo plumbea alligetur nunquàm illam gerens vulnerabitur, ſanguinemue emittent, ſed hæc læuia & ridiculá mihi videntur, Subdunt ꝙ ſi aquarii figura in viridi tureſia inueniatur ſculpta, ſi quis eam fert, ex omnibus quæ emit,& vendit lucrum acquiret opimum equi alati figura in lapide inciſa optime erit militantibus,& in campeſtri bello dat promptisſimam audaciam, Vrſi, ac ſerpentis circundantis eum figura, ſi in precioſo lapide ſculpta erit, prudentem,& gratioſum reddit geſtantem, Arboris vitis, vel ſpicę inciſio portatorem in victu, ac veſtitu abuudare facit, puella, vel lampas ſi in cryſtallo celetur virtutem habet, vt ipſi fabulantur cuſtodiendi lumina oculorum, leonis figura in granato ſculpta diuitias,& honores præbet, Cor lætificat, triſtitiam expellit, Omittam quanta dixerint varii de Aquila, Gallo gallinaceo, formica, pauone, equo, & huiuſmodi quæ varia potius quàm vera ſunt,& quamuis natura poſuerit maximā virtutem in verbis, herbis,& lapidibus, tamē ambitionis aliquid ſapiunt, non nego, ꝙ in tali lectione ſtudio, & profesſione maxima eſt quę allicit, demulcet iocunditas, oblectatio, delectatio, vt ſæpisſime ex ſui iocunditate totum hominem in admirationem trahat concitet, in ſtuporem inducat, quidnam magis gratum, quàm ignotis antiquorum nomina nota,& perſpecta reddere,

illorum

illorum expreſſas effigies,ora certisſima, lineaméta tutisſimis &verisſimis nominibus expreſſa reddere eosq; in marmore cognoſcere, quorum facta, virtutes glorioſas, nefandisſima turpisſimaq; vitia in membranis relata,in libris ſcripta, in annalibus redacta,legimus,videmus? o quàm iudicioſus in illis dum verſatur efficitur homo, qui etiam donando applicat munera grauisſimis viris digna,apta,accomodata: ſicq; iudicioſe diſponuntur,artificioſe collocantur,ſenſate applicantur. Ex ſumma cognitæ rei delectatione rapitur, & diſtrahitur totus homo, cui nil magis gratum,magisue dulce euenire poteſt, quàm antiquorum nomina cognoſcere: cum illis conuerſari, quorum corpora iandudum in ſepulturis diſſoluta, & pulueruIenta iacent: illorum veras effigies, certisſima ora, elaborataq; lineamenta declarare,illis delectari,& videre ſpirantia mollius æra. Sic agebant polite antiquisſimi,prudentisſimiq; artifices,vt viuos ducerent de marmore vultus: eorum nomina grata artificio ſuo redderent, quorũ vitia, ſcripta vituperamus,condemnamus: laudes vero aſſequendo commendamus, & extollimus. De aptitudine illorum munerum ſuperius dicta ſic breuibus digredi potero,vt ſi fauſtis viris,Fauſtina mulier pro dono data collocetur, Lucios veros verisſimis deſtinari credebã, Antoninos Pios pijs recte applicari iudico, Incommodis Commodum,de quo ſcriptum eſt,Commodus incommodus omnibus eſſe poteſt: Senioribus patribus Galbas: laſciuis Othones,Vitellios formoſis Principibus, de quibus extat Carmen, Galba ſenex, Otho laſciue, & formoſæ Vitelli: Aurelios prudentibus,Philoſophis aptari iudico, Calligulas otioſis, vitiisq; teterrime laborantibus: Nerones crudelisſimis Tyrannis, quẽ & in Senecæ magiſtri,& Agripinæ matris crudelitatem teterrima ſeueritas damnat: Octauios Auguſtos quietis, fortunatis, & diuturnis,qui decem luſtra prorogauit: Iulios Cęſares Tyrãnis: Brutos parricidis: Caſsios Algas ſauguinolentis: Pompeum Magnum triumphantibus, qui viginti duos triumphos peregit ſolenniſſime. Quid dicã de eloquenti Oratore, quem exprimit alati Mercurii facundia? Vltori viro, & vindicatori vibrantis Martis militantem enſem: potenti, & formidoloſo Iouis fabuloſi cadentia, & candentia fulmina: furioſo indulgentis matris Veneris igniculos: leui balbutientis filii cupidinis

nis acuta tela : maligno genio Saturnus destinabũtur. Hic mirari poterit in istis antiquitatibus curiosus lector volantes, candidos, rubicundi Phœbi dispositos equos : instabilis Lunę, vanas Virgines, minitantis, & militantis Martis vulpes versipelles: vigilantis Mercurii excitãtes antelucanis horis gallos : sedentis Iouis formosos Pauones variantibus plumis exornatos : mollis denudatæ Veneris candidas Columbas, lasciuiam suam grato murmure exprimentes: confecti Saturni mortiferos serpentes intueriq; poterunt, istis illorũ bigæ finguntur trahi. Vertat se modo aliunde antiquissi narum rerum curiosus, & studiosus: animaduertet summa lætitia, & iocunditate lactantem siluestrẽ lupam, & pro agresti vlulatu vbera præbentem prægnantia. Videbit lactentes derelictos infantes iam expositos, luctantem fortissimum Herculem, lictantem Dianiram fœminam latentem in nemoribus densis Siluiæ ceruam, se se quandoq; occultantem modo humanissime prodeuntem, lætantem: Athlantem, rursus videbit, & delectabitur in latrantibus matutinis Dianæ canibus: considerabit, ac miserebitur super extorquentibus serpentibus, seuereq; mordentibus afflictam Cleopatram, gemẽtem Laocoontem, miserantes paruulos, trementes filiorum artus immaturos: deflebit immanissimum aprum famosissimi uenatoris: Adonis stupidus mirabitur. Vlterius descendo: inter mulieres ista contemplari poterit. Dianiræ Herculeæ feritatẽ, matutinæ Dianæ vrbanitatem, Domitiæ Domitiani tenellæ venustam faciem, nobilissimæ Plotinæ Traiani grauitatem, Plautillę impubertatem, Helenæ venustam pulchritudinem pulchramq; venustatem, Probæ Mameæ honestatem, amplissimæ Liuiæ Augustum cultum, fastum, & ornatum lasciuum, Aurelię Faustinæ libertatem, effrẹnumq; luxum, doctæ, & deliciosæ Tulliolæ flosculum peracerbum, Terentiæ ellatum animum, Antoniæ virilitatem, Messalinæ incontinentiam, de qua scribitur, & lassata viris, nundum satiata recessit, Viraginum Sabinarum audaciam, Claudiæ hilaritatem, Drusillę delitias, Lucillæ suauitatem, Cleopatræ serenitatem, Agrippinæ asperitatem, Iuliæ Pompei lænitatem. Hæc omnia penes me reperiuntur: huiusmodi notitiam perita manus artificis consumatissimi docet. Extabant apud me summo labore, impensa, atq; difficultate non mediocri alias cõgesta supra tria millia Cornelia antiquissima

selecta

selecta,omni artificio.& diligentia studiosissime elaborata : ex quibus multa pro donis a me data sunt. Illud qd' semper miratus, & admiratus sum præcipuo loco vnum est excellentissimũ sculptũ opus Praxitelis,& Phidiæ antiquissimorũ artificum, videlicet stantes sonipedes recalcitrantes, innientes mordentes, spumantia fręna mandentes , loquentes, seruos pueros spirantes,eorum denudata corpora mouentes. Relinquo alia quam plurima,ne in orationem crescat curiosa epistola. Nidificantes aues,mellificantes apes,arantes boues,vellera ferentes frugiferas oues balantes,leones rugientes,Aquilas volantes, crocizantes Coruos teterrimos,murmurantes gratas Columbas, susurrantes apes,latrantes canes, mugientes vitulos , repentes serpentes,sibillantes viperas,quæ omnia sic 'actum viuẽtis referunt,vt spirare prope videantur taceo. Mollis Reginæ Didonis Regias delicias, & opulentiam,Iunonis modestiã doctæ Mineruæ uirilitatem. Corneliæ dignitatem mollem inconstantiam infælicissime Horestiliæ, existimationem scriboniæ tumorem Sextiliæ Vitellii matris deformem senectutem , Albinæ Terentiæ Vespasiæ Pollæ deformitatem. Hęc ex sui mira delectatione,& oblectatione trahunt studiosos. Habuisti hactenus studiorum meorum rationem habes etiam fidissimum animi mei testem tibi,ac nomini tuo deditũ,perpensum semper, magis atq; magis tuo iussui paratum bene vale.Deus te fœliciter. Interim expecta meas elaboratas quę sequntur lucubrationes cito in lucem prodituras horum nomina sunt, quolibetum iuris,Declamatio in patres impie filios exheredantes, Apostille ad ll.ciuil. paraphrisis super exercitio apostolorum quatenus euellebant spicas vt comederent Denegligentia, tractatus,de paupertate, commentarium de nobilitate libellus,Tacent loquentur cito.



DE REGE CATHOLICO ORATIO FRANcisco Paccieco Card. Ampliss. consecrata.



ET si soleant oratores, qui dicendi scientiam profitentur, summis laudibus, ingenti præconio aduenientes Principes salutare, Reges sũptuose excipere, eorũ gloriosa facinora non mediocri facundia, ingẽti verborum apparatu sic exceptos, quantum possunt extollere; vt verborum lenocinijs, fucatoq; dicẽdi cultu fauorem suum promereantur, amicitiam concilient, gratiã aucupentur: sicq; prædam venentur optimam, & opimam. Ego vero & si huiusmodi sententiam in præsentia nec laudem, nec aliquo modo vituperem; (commendanda, an condemnanda veniant aliorum potius, quam meum sit iudiciũ) tamen huiusmodi præcones, atq; tibicines, vt adulatores, assẽtatoresq; procul commeãdos ab aula, recedendos, & remouendos censeo, vt vituperatores potius, q̃ laudatores alienæ laudis. Hos legimus alias Isocratem Grecum oratorem ad Demonicum orando in suis tribus orationibus quãtũ potuit sua acclamatione vt exosos acerbe, severeq; persequutũ esse. Optime factum credo ab illustri oratore; si gloriosum factum aduenientis Principis oratione sua fuerit cõplexus, quod ad bene, beateq; viuendi normam, & rationem attinet numerosa clausula recensuerit: quod ad animæ cultum spectet facunde docuerit, diserte persuaserit: ac pro garrulis vocibus, postrepentibus, tumultuãtibusq; tibijs, atq; tubis veritatem ingenuam syn

3

cere in medicina attulerint, prout præsentis diei in stantis horę, laudabilis occasionis vna opportunitas docet, monet, instruit, demum compellit. Quod eo libentius, promptius, ac propensius ex officina mea in medium offero: quia tuum, Philippe princeps potentissime, ingenuum ingenium vniuerso terrarum orbi, tui exculti mores, candor, disciplina perspecta, & cognita iamdudũ extitit. Taceo modestiam animi recte compositi, continentiam maximã: quibus omnibus efficitur, vt expurgatissimas aures a falso Sirenarum demulcentium cantu recte reuoces, penitusq; auertas: sicq; auersus a magistris aures prurientibus, tumultuantibus, ac obstrepentibus, totus serio inflãmato pectore ad veritatẽ, quæ optimi principis anima existit religiosus conuerteris. Quamobrẽ accingo me ad ea, quæ pręsentis orationis cardo, neruus, & substantia existunt: eodemq; contextu, eadem clausula, ijsdem laudibus & de patre tuo gloriosissimo Carolo Cesare, pariter & de te dictum existimo. Philippe, qui videt ora tua videt; & Cæsarem Patrem, qui in te vno veram sui effigiem, & potentiã expressit suam, vt seminarium hęreditarium ingentis gloriæ, & nomiuis tui celebratissimi: sicq; pictoris more ad tabellam depingendam, delineandam, exprimendam pro veritate, citra vanitatem, colore charitatis, tabella breuitatis, penicillo veritatis propius manum apponam: sic breuibus intelligere tibi licebit, & libebit. Quatuor maxima concessit serenissimo nomini tuo Deus omnipotens, & maximus: quod Cęsare inuictissimo patre filium procreatum

tum esse voluit: cui vt vnicus, sic apprime dilectus fuisti. Accessit deinde secunda causa, quod te eundẽ constituit in terris potentissimũ Regẽ, sic coronatũ, sic salutatum, sic cognitum. Non omitto tertiam. Idem Deus formidolosum nomen tuum summa potentia effecit: ex quo ad quartum orationis meæ corollarium, & additamentum infero: quod vbique locorum, temporum, & gẽtium te desiderabilem, amabilem, exoptatum, ac expectatum effecit. O gloriosum principem, o Regem omnium felicissimum, o auream tuam ætatem. Leua circũquaq; oculos tuos, attẽde, lustra, & vide: omnes ad te in Regem excipiẽdum veniunt: nomen tuum honorificentissimis præconijs celebrare non desinunt. Verum in his Philippe Rex serenissime, te rogo, atq; obtestor, vt non extollaris, non efferaris supra te: quod pestiferum existit letale, atq; mortiferum reputatur: ne iactes te ipsum: ne sapientiæ tuæ istud ascribas: ne felicitatẽ tuam bono genio, siue optimæ fortunæ accepto feras: quod ambitiosi, est sed dato gloriam, & laudem Deo, a quo tãquam ab amænissimo fonte omnes riuuli scaturiunt suauiss. Omne bonum desuper, & omne perfectum de sursum est, descendens a Patre gratioso luminum. Verum consideres in primo gradu quatenus dixerã a Cæsare patre inuictissimo te procreatum filium. Hic constitue in prima consideratione firmissimum cardinem: hic Deum time verum patrem. Sic sanctæ lectionis hauries optimum præceptum, qua habetur: Timete Dominum omnes sancti eius; quoniam nihil deest timentibus eum. Hoc

est illud, quod in sanctissima schola discunt pij homines; quæ clamat, atque inuitat omnes: Timorē Domini docebo vos. Nōne initiū sapiētiæ est timor Domini? Pro dato itaq; patre terreno tam maximo, tamq; potenti, timeas Deum cœlestem, Patrem æternum, Patrem omnium benignissimum, sic de se ipso dicentem: Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, quanto magis pater cœlestis dabit fructum bonum petentibus se? Rursus in secūdo felicitatis tuę gradu, quatenus te potentissimum Regem cōstituit Christus, non tumescere debes. Timentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Nā timens Deum faciet bona. Exemplis negocium nostrum demonstremus: factum præsens declaremus parumper. Quia timuit Deū Ioseph, & Nicodemus, obtinuerunt petentes sepelire sacratissimum corpus Iesu. Quia timuit Dauid Dominum; ideo inuentus est secundum cor Dei: & regnauit in sede felicissima. Quia timuit Abraham pater credentiū; idcirco in semine suo benedictę sunt omnes gentes: cuius propago dinumerata est super arenas maris, & excreuit super stellas cęli. Quia erat timēs Deum Noę; idcirco tutissima arca a fluctuanti diluuio præseruatus est. Zacharias pater quia timebat Deum, iam desperatus vterque erat, vterq; vltimo senio cōfectus, suscepto maximo filio vinculum linguæ fregit, impedimentum rupit, & liberam linguam recuperauit, qua Deum postea benedixit. Simeon Deum timēs in amplexu Sanctum retinuit, viditq; oculis suis salutare suum. O quam bonum est, quā sanctum, & sua

ue

ue Deũ timere. Ex quo cognosces te ipsum hominẽ, mortalẽ, fragilem, subiectum, & suppositum humanę conditioni, multis miserijs repletum, agitatum, vicissitudinis temporum furoribus, & ad instar aliorũ viuentium motibus subiectum, suppositum, subditum, natum de muliere, breui tempore victurũ, multis doloribus agitatum, vt bullam, vt fumum ante faciem venti expositum. Sic disces qualiter alijs misereri debeas, alienasq; facile tolerabis infirmitates. Ex hac sui ipsius cognitione libet mihi in præsentia quę nam bona proueniant breuissime complecti exemplis de more meo etiam instando Quia se ipsum cognouit Publicanus, agnouit statum suũ, ideo iustificatus descendit in domum suam: e conuerso Pharisæus qui se ipsum non nouit, confusus recessit. Mulieri peccatrici in domo Simonis pharisæi se ipsam recognoscẽti remissa sunt peccata multa. Zaccheus quia peccatorem se cognouit; & in defraudatione facta quadruplum restituit; Christum in hospitem habere meruit, obtenta peccatorum suorum venia. O quam felix est sui ipsius cognitio, quam sancta, quã beata. Nunc reuertor ad tertium gradum: in quo dixeram te, nomenq; tuum formidolosum, potentissimum reddi. In hoc, fræno rationis, habena, morsu opus est maximo ad coercendos impetus, & igniculos sũmæ potentiæ: prospiciendum est interno iudicio, & caute agendum; ne quid nimis velis. Sic potẽtiam tuam rationis fræno gubernabis: sic te ipsum reges: sic sapientissime omnia moderaberis: & qui secus volunt; labuntur in præceps: prolabuntur in ruinam

nam, concidunt in deterius. Nonne Adam protopa rẽs noster ingratissimus quia nimis voluit; ad vetitũ lignum impias manus extendens, seipsum cum omni posteritate perdidit, Pharao qui nimis extolli voluit, rubro mari euersus, submersus, & suffocatus est. Lucifer volens ponere sedem suam in aquilone, pręceps ad tartarea loca deiectus est. Babel se cum Diis pugnaturum credens, nimis sibi persuadens, confusus, & destructus est. Falsus purpuratus epulo diues, qui immoderate, & luxuriose viuens nimium volebat, epulando quotidie splendide ostendit peccandi deprauatam nimis consuetudinẽ sepultus est in infernum. Quid dicã de Alexandro Magno? expeditis in Græciam literis se Deum falso colendum putauit: cuius tumorem Lacedemonij sic ludificati sunt: Postquam vult esse Deus Alexãder, esto sane. O quam pestiferum, quam mortale, quam letale, quam exitiosum existit nimis velle, nimis posse, nimis sapere. Ideo dicebat ille vere sapiẽs. Nolite sapere plusquam oporteat, sed ad sobrietatem sapite. nũc successiue descendo ad vltimum gradum, in quo dixeram, Regium nomen tuum vbiq; locorum terrarum, atq; gentium desiderabile, gratum, amabile, satis iocundum reddi. Hic vnum opus est quod vulgo dicitur: Apta te tempori. Virtus hæc est aurea, preciosa, cara nimis. Ideo dicebat ille idem sapiẽs scio egere, scio abundare. Seruire tempori prudentissimá res est, dicebat sapientissimus Salomon: Omnia tempus habent: tempus est ridendi, flendi, quiescendi, laborandi, & cætera quælibet agendi: quod

quod qui non obſeruat, ineptus, intẽpeſtiuus, inſulſus iudicatur. Sic recta libra, iuſto pondere, æqua lãce te & omnia tua iuſtiſſime metieris: ad pondus ad numerum, & menſuram libram tuam recte referes. Hoc fac Philippe optime, & viues. Hęc quia ab infãtia tua (vt fertur) cępiſti, ideo glorioſa de te prædicãtur. O potentia tua excelſa, magna, profunda, admirabilis, laudabilis nimis. Ex iſta ſic perlecta lectione efficietur paruo labore, breui difficultate, vt Imperatoriã maeſtatem non ſolum armis decoratam, verũ & legibus ornatã habeas. Recordare quod Iuſtitia eſt conſtans, & perpetua voluntas ius ſuum vnicuiq; tribuens: cuius iuris tria potiſſima pręcepta ediſces ex tradito Paulo ante breui themate. Honeſte viues Deum ipſum timendo, qui totius honeſtatis exiſtit ſpecimen exemplum, & exemplar, origo, relatio, typus, forma. Alter nõ læditur ab illo qui ſeipſum cognoſcit: nam homines inuicem membra exiſtunt, vt ſibi mutuo auxilio famulentur, atq; inſeruiant. Demum tertium I.C. ſanctiſs. præceptũ recte hauritur quod eſt, Ius ſuum vnicuiq; tribui. Si ne quid nimis agat. Princeps attenderit: dando ſuũ vnicuiq;, ceſſat ſtatim tertii iniuria. ſic nequid nimis cõmitatur, cura eſt Catholico Regi optimo. O quadratum Principẽ, perfectũ, omnibus numeris abſolutũ. Sic omnibus venerabilem ſic te amabilem, gratum, carum, & gratioſum reddes. Iſtis conſiderationibus, quæ proprie regię ſunt, te omni regno, principatu, & imperio dignum facies: te meritum reddes. Adeo digna ſunt Rege, vt ſine illis nec Rex nec Princeps aliquis eſſe

queat

queat. Ista regem creant, coronant, constituunt, conseruant. Nonne probantur omnia hæc in solennissima, & aurea Lege illa, Digna vox. C. de legibus: quę secundum me in quatuor partes diuiditur. In prima Deum timet Imperator, quatenus se legibus alligatum profitetur. Quid aliud est seruare leges; q̃ custodire mandata? quid scriptum est in Lege? quomodo legis. Diliges dominum Deum tuum: hoc fac; & viues. Rursus in secunda parte cognoscit seipsum Imperator ibi, quatenus iubet de autoritate legis omnem suam pendere autoritatem, ius, & imperium. In tertia parte textus ostenditur apertissime tertiũ præceptum, Ne quid nimis: dum submittit principatũ legibus, quæ maiores existũt quolibet imperio. Demum aptat se met tempori; quatenus oraculo præsentis edicti alijs successoribus indicat Imperator, quod sibi licere non patitur. Ecce indicat ibi, nõ pręcipit successori suo. Ratio est in promptu satis expedita: quia par in parem non habet imperium secundum tex. in l. nam magistratus ff. de recep. arbit. in l. ille a quo. §. tempestiuum ff. ad trebell. cum vulg. hic est de aut. l. regiæ, quæ est de imperio transferendo de populo in principem. vt inst. de vir. nat. §. sed quod principi. & in l. 1. §. hoc etiam C. de vet. iur. enucl. Et notandum est vnum, quod oraculum ibi accipitur pro diuina voluntate ore hominis declarata, significata, demonstrata. sic accipit' in ista Lege, verbum illud, oraculũ. pariter ita accipitur in l. fin. circa fin. C. de præscript. longi temp. sicq; colligitur ex illo textu, quod oraculo idest diuina voluntate

ac

principes sanciunt leges, gubernant, viuunt, regũt ac omnia recte disponunt. Si honeste viues, plus vltra ibis: quia Deum fautorem tuum in omnibus habebis, Si alterum non lędes; nec spe, nec metu, nec temere, nec trepide aggredieris quidq̃: desistesue ab onere cepto. Rursus si ius suum vnicuiq; tribues; fi= nient in te mala: discedent procul: venient illico, pariterq; renouabunt omnia bona: seruabis, & serua= beris. Tanq̃ a facie inhumaniss. colubri fuge peccatum: quo nil fœdius, turpius, indigniusue excogita= ri potest. ad desperationem, ad laqueum inducit hominem. Tu vnus solido intellectu præsenti tempori consule: sagax prospice: prompta memoria pręterita repete, matura voluntate futura præuide. Sic ri= te maxima scire, posse, velle sperabis, confides, audebis: quia assistet tibi summi Patris Dei potẽtia: Filii sapientia fauebit: Spiritus Sancti bonitas lumen dabit. Quibus protegentibus tres malignantes hostes strenue superabis: demonis supplantantis insidias iam non timebis: adulatoris mundi blanditias non vereberis: demum vrentis carnis concupiscentia, & stimulis non affligeris. Ita in Domino confirmatus ad tres principaliores orbis partes, Africam, Asiam, & Europam gloriosus conuerteris: armis, consilio, potẽtia regna conteres: solares, lunares, stellatiq; Principes summam tui potentiam auxiliante Deo formidabunt. Ne te ad cognoscendum subditorũ

pro debito pronuncianda expecta supremum iudicium, ne differas fauore, ne auferas furore, ne acceleres nimio feruore, sed festina lente, iubet. l. cum furiosus. ff. de iud. vt ꝙ difertur, non auferatur, vult etiam tex. in l. quidquid calore. ff. de regulis iuris eo motu animi pronunciationem a iudice factam minime ratam haberi. Sic te gerendo, optimeq; regendo Philippe Rex Catholice, senties verum patrem tuum cœlestem Christum, qui vt prouidus, & diligens paterfamilias tui curam, studium diligentissimũ habebit: populi tui tibi subditi custodiã suscipiet: & tanq̃ Regi Salamoni augebit disciplinam: pariter augebit & fidem, si orans in fide poposceris a Deo. Sic omnia quæcunq; deprecatur fidelis, accipiet & eueniẽt illi. hic da mihi veniam Rex Cath. vt libere aliquantulum oratoris more percurrẽdo tecum agere, & loqui valeam: sic humanitas, sic clementia tua hoc vnum mihi concedat. Nam quoties aliquæ titillationes, pruritus in te (siquandoq; accidit) pullulãt, auaritię immoderatę luxus effrẹnis & liberę nimis cupiditatis; statim, illico, dicto citius filum incide: occurre, succurre rationis fræno, morsu, habenis: allide paruulos tuos ad petram sic conterere illos, cõfringe: petra autem erat Christus: hoc pacto te, & regna tua conseruabis felicissime. Leuabis, extolles oculos tuos, agmen, captum mentis, aciem intellectus, prudentiæ, & prouidentię Regię, quæ maxima esse debet, in montes: vbi gratia, vbi felicitas, vbi beatitudo omnis conceditur: vnde veniet tibi auxilium optimum, suffragium tutissimũ,

admi-

adminiculum certissimum, tutamen fidissimũ. Auxilium tuum à Domino: fiducia, & spes recta omnis non in maximo duntaxat armorum apparatu; quia arma, & scuta combure igni: non in equis, & stantibus sonipedibus, qui feroces spumantia mandunt frœna; quia equum, & assessorem proiiciet in mari non in thesauris corruptibilibus, & vanis, quia scriptum est, quòd aurum, & argentum abhominabitur Dominus: non demum in opera, & ope mendacissima amicorum: quia inimici hominis domestici eius. Qui edebat panes magnificauit supplantationẽ: remota causa, est remotus effectus. Dilige super omnia, & appete iustitiam omnium virtutum reginam: illam in subditorum causam exerce: qua enim mensura metieris; eadem remetietur tibi Deus opt. O vos qui iudicatis terram, diligite iustitiam: tributa, onera, vectigalia, iniquas exactiones, impositiones remoue, aufer, tolle, exonera quãtum fieri põt: grauissima huiusmodi munera quibus colla subditorũ alligantur iugũ est perniciosum, nimis exitiosum, nimis letale, ad desperationem sępissime fideles subditos redigẽs. Expurga, emunda, emenda Ciuitates, & Regna tua malis ministris, falsis pfectis, qui studiosi nouas impositiones quotidie, pro imponendis lucratiuis descriptionibus ad fauorem, pro aucupãda principũ gratia indigne excogitare nituntur. Noli pati Rex Catholice vt ab istorum ex-

tur,offendatur,corrũpatur: recordare ſedulo illius ſentẽtiæ quam pariter,& reformidare debes: Potentes potenter tormenta ſuſtinebunt. Interim ad illa conuerto ſermonẽ quæ tibi curæ eſſe debent. Præcipue eiice ex Regno tuo (ſi illud diu cõſeruare honeſte deſideras) morbum, fęcem, peſtem improborum mercatorum. Horum anxia auiditate ſępius periclitantur Principum opes: ſuffocatur corona: qui quadruplicatas vſuras, & fœnora extorquere ſemper hiant auidi in immenſum cũ ſummo diſpendio excreſcentia: nam mercator (vt inquit ille) Deo placere non poteſt. Hoc verbo omne indignum includit: omne honeſtũ excluditur. Quid plura? ab iſtis publicum euacuatur ærarium: ſibi priuatum impletur horreum: dum vnum expilatur, temere expoliatur; alterum veſtitur, ornatur, expolitur. dum Principi claudunt honeſta æraria; ſibi ipſis aperiunt laſciua uinaria: ſuſpirante Principe rident ipſi. Hic applicare potero totum tit. C. de cõmercio, & mercat. vbi multa in iſta rei qualitate dicũtur. Extirpa, itaq; euelle ex regno tuo, ſi illud quietũ, honeſtũ, & diuturnum ſeruare exoptas, zizania falſorum mercatorum: commercium eorum remoue, qui bonam fidẽ violare nituntur. vt fæx, peſtis, & morbus ciuitates corrumpũt: nihil magis oderunt quàm ſacrũ illud: Mutuum date, nihil inde ſperantes: quinimo triplicatas, quadruplicatas in infinitum vſuras cumulãt in dies. Mercatores vt honeſtatis, ſic ciuilitatis omnis ſunt inimici: quam nec agnoſcunt, nec diligũt. ideo niſi moniti Principi debitam neceſſitate pen-

ſionem

ſionem minime agnoſcunt. Hoc eſt quod dicit tex. de ipſis conquerendo in l. 1. C. de commerc. & mercat. Inimici ſunt ciuitatis, hoſtes publicæ quietis, hoſtes Populi Romani: & quandoq; præſtant ſuppetias, auxilium, & ſuffragiū barbaris; vt impediāt publicum commodum, quietem, & honeſtatem ciuitatis; quam ſemper perturbare ſtudēt: cui iugiter inuident. Ideo valde cōqueritur de illis Imperator; quos & reprehendit: & ob ſuam temeritatem ſeuere caſtigat in l. ij. C. de commerc. & mercat. de pœna Iud. illos non acriter caſtigantis. Oīa iura clamant. tex. in l. i. C. de priu. carcer. l. ſeruos in fin. ff. ad l. Iul. de vi. l. i. in fin. ff. ad ſillan. l. iij. §. diuus de ſep. viol. l. in delictis. ff. de noxal. l. quid ergo. §. i. ff. de ijs qui not. inf. c. error. 84. diſt. c. facientes 86. & ij. q. vij. c. negligentiſs. Accedit ad malam fidem iſtorum probandam, quòd ſolum ſordidi, ignobiles ad mercaturam gerendam li. Sacroſancta ſanctione admittuntur. Quamobrem nobiliores natalibus, honorum luce conſpicui, & patrimonio ditiores pernicioſam vrbibus mercimoniam exercere omnino prohibentur. Ratio iſtius dicti allegatur in tex. vt inter plebeios, & negociatores facilius ſit emendi, vendendiq; turpe commercium. ad hoc allegari poteſt pro confirmatione tex. in l. milites C. loca. & in decret. facit c. clerici xiiij. q. iij. & tex. in l. fin. C. de reſcind. vend. l. v. §. pupillus. ff. de aut. tutor. De ſordidis

mco de veritate iudic. inuenienda quem adhuc priuatum retineo. Ad idem insurgit dispositio pulchra tex. in .l. mercatores C. eod. tit. in qua detego ego pulchrum secretum à paucis excogitatum. Solent tales mercenarij homines ad omne genus facinoris prorumpere: seruiunt pro exploratoribus, ideo nundinas exercere minime opportet vltra ea loca, in quibus fœderis tempore cum memorata natione nobis (inquit Imperator) côueniunt, hac de causa huic rationi potissimum innititur tex, ne alieni regni (quod non conuenit) scrutentur arcana: alioqui merces, quæ in locis prohibitis fuerint venundatæ sacro ærario applicantur, & exilii pœnæ subduntur æternæ aliter contrahentes. Caueas ergo Rex Catholice ne liberum aditum, ne tutum accessum illis tribuas: qui secretorum tuorum exploratores a I. C. reputâtur. Nam (vt ingenue fatear) libet quod aliquantulum sermonem tecum habeā quomodo magis periclitatur Regia corona, quâm mercatorum cum principe vna conuersatione? Ii fœnoribus additis, immensis vsuris, quas interesse dicunt, excrescentibus in infinitum reddunt, principis conditionem, & statum, valde quolibet priuato deteriorem. Quis ad desperationem inducit tam principes, quā subditos? mercator. Cuius auiditate, uoracitate, satietate, expletur, tyrannide, expilatur, expoliaturue subditus? mercatoris. Cui subditi ob impositas lucrat. dispositiones, & descriptiones, ob tributas & onera iniecta maledicūt, & vltimā diē imprecantur? mercatori. Quē detestantur, abhorrent,

reformi-

reformidant, & odiosum, ac exosum ciues arpiam?
mercatorem. Hoc nomine, ò mercator complexũ, omnia puto. Corrumpere mores, vitiare sancta instituta, profanare iura, subuertere ll. Ciuiles, viuere sine l. sine fœdere, sine vrbanitate eos quis nõ vidit, sensit, cognouit? Ego nollem in hoc aliquos lęsisse, punxisse, non enim mei fuit vnq̃ instituti alicui maledicere: nisi pro veritate rei de illis locutum esse volo, ad quos præsentis dispositionis Imperatoriæ ob suam turpitudinem spectat comminatoria sanctio, & dispositio. Succurrant tibi illa saluberrima præcepta, quę dicebat M. Aurelius Imp. Romanus ad Cincin. scribẽs indignum esse viro, & ciue Rom. turpem mercaturam exercere: qua impie docentur, tanq̃ tyranni publicos inimicos diligere: amicos, & benefaciẽtes summo odio prosequi. Hac vna insensi hostes, vexamus, molestamus, ciues, habitatores & domesticos: extraneis vero manus, & suppetias damus. Turpis, & iniqua mercatura docet pro beneficijs maleficia reddere: rebelles, ac desertores ciuitatis amare: eos qui publicę vtilitati studẽtes benefaciunt, odio prosequuntur nouercali. Id mercatura docet: proditores, perduelliones, vt receptatores priuatim celare: auxilia seditiosis præstare: concordiam, pacem, honestum otium, & quietem ciuitatis perturbare; tumultuãtes, & obstrepescentes tutissimo conseruare]. Hæc sunt præcepta, quæ a mercatu

auxilia, & suppetias: ciuitatibus suppeditãt: conant̃ vanis promissis, atq; verbosis fallacijs nocẽtes, reos, ac conscios absoluere: demũ (ꝙ peius est) innocen tes cõdemnare nituntur. Quis didicit proditor esse ciuitatis, & patrię suæ? mercator. Cuius tyranni idem phaleratam veretur, atq; suspicatur Resp? Mercato ris, cui scribitur enormis patriæ offẽsio? mercatori infami: qui multo plura, atq; maiora furatur, deprædaturq; in plateis secum fraudolenta cogitatione machinando; q̃ soleant publici sicarii in siluis, & nemoribus dẽsis bacchãdo temere deprędari. Vna congregatio mercatoris, non schola nobilium, sed spelunca teterrima ex contractibus, & distractibus vocitatur: ibi obliuiscit̃ homo nobilitatis, ciuilitatis, vrbanitatis, auctoritatis, amicitię: humanitatẽ, existimationem, & dignitatem exuit postposito honore: omnia cum vtilitate metiuntur: vno colore veritatis quamplurima celant mẽdacia: huic nomini Catholici Regis plurimum aduersantur: hoc insequuntur. Vos tandem recognoscite: sicq; surgite sedentes cum Matthæo in Telonio: exurgite iacentes in fæce peccati cum Zacheo cõuerso: & si quos defraudastis; reddite quadruplũ: resurgite de mortuis cum quatriduano Lazaro fœtente. sic recte expurgatis hominibus diuinæ curæ, & custodię subditos suos committet, & cõmendabit Philippus Rex: neglectis terrenis, quæ in comparatione cælestis gloriæ arena sunt exigua: sic ex tua [illegible] bitur libra. Quære in primis regnum Dei, & iustitiã eius: tunc recte, & feliciter regnabis quia Rex recte regens raro ruet. Dixi. Laus Deo.